



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. VIII. Docet iniitio cursus, oculos mentis in æternitatem esse dirigendos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

tur: & sermo meus non pictus persuasibilibus humanæ facundię verbis, virtute diuina suspendat. Accipite gratis argentum igne examinatum, probatum terræ, & purgatum septies: & quasi modo geniti infantes ediscite elementa suauissimi sermonis mei.

## CAP. VIII.

*Docet initio cursus, oculos mentis in æternitatem esse dirigendos.*

**F**ILII accedentes ad seruitutem meam, oculos, ante omnia, in æterna bona dirigite, & ad virentia sine fine prata suspirate. Estote sicut Issachar, qui cum videret terram, quod esset bona, & requiem, quod optima, supposuit humeros suos ad portandum, factusque est, seruiens sub tributo. Sic ego, proposito mihi gaudio sustinui crucem, confusione contempta, & transij per ignem, & aquam in superuenturum refrigerium. Et quod ad novos milites meos attinet, mihi credite, nihil esse, quod animos sermonis iustitię expertes, lactisque participes æquē



æquè moueat, ac sperata æternæ consolationis magnitudo : qua victores exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis. Certè formosissima lux mea, & purissima delectatio dexteræ meæ, coronas varias, de multiplici labore, iusta remuneratione reddentis, animos pugnantium fortissimè munit, ad confringenda capita draconis, qui datur in escam populis Aethiopicum. Spem hanc incedentem vsque ad interiora velaminis, reponite in sinu vestro; ne deficiatis laborando, quasi mercede carituri. Tempus erit, cum Altissimus Pater meus dicet fidissimo procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsquè ad primos. Hac spe plus, quàm suauissima erumpunt aquæ in huius vitæ deserto, & torrentes in solitudine. Et anima, quæ arefcit, potu delectabili reficitur, quo labores vniuersi dulcorantur. Spes hæc statuit procellam maris in auram, vt sileant perturbati fluctus eius. Hæc est hæreditas fortium Israel, qui spernentes momentaneum hoc, & leue præsentis tribulatio-

bulatio-



bulationis, intentos habent oculos in æternum gloriæ pondus, quod speratur in cælis.

*Cap. I X. Ponderat gloria magnitudinem.*

**P**ERFECTORVM est solidus cibus, eorum scilicet, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, & ex purissimo ac dulcissimo mei amoris affectu, sine introitu retributionis, me requirunt. At vos, qui purgatos cordis oculos nondum nacti estis & mercede mouemini, currite post me saltem more adolescentularum, quæ amoris imperfecti suauitate trahuntur. Certè in ciuitate primogenitorum, & in monte sancto, vbi, post diluuium aquarum, passionum uè multarum requieuit arca humanitatis meæ, nihil est, quod suauitatem, & amorem non spiret, & castissimis delitiis non circumfluat. Egreditur aquæ purissimæ fluius à me fonte viuo, ad irrigandam faciem terræ promissionis meæ: cuius ubertate, & amœnitate viscera dilatantur: Nō ibi flat Aquilo, sed